



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **COLORATENSIS\*** IN AEQUATORIANA NATIONE  
PRAELATURA TERRITORIALIS COLORATENSIS

AD GRADUM AC DIGNITATEM EVEHITUR SERVATIS IISDEM FINIBUS ET NOMINE Cum hisce recentioribus annis  
Praelatura territorialis Coloratensis catholicorum fidelium numero operibusque religiosis et civilibus auctis haud modicum  
incrementum cepisset, Venerabilis Frater Iosephus Marius Ruiz Navas, Archiepiscopus Metropolita Portus Veteris atque  
Conferentiae Episcopalis Aequatoriana Praeses, eadem Conferentia audita, ab hac Apostolica Sede petivit ut haec  
praelatura territorialis ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur. Nos vero existimantes id in animarum bonum esse  
cessurum, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Francisco Canalini, Archiepiscopo titulo Valariensi et in memorata  
Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse  
putavimus. Summa igitur Nostra potestate, Praelaturam territorialem Coloratensem ad gradum et dignitatem dioecesis  
attollimus, servatis iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et eodem Curiae nomine Coloratensi. Sic conditae  
dioecesis sedem in urbe « Santo Domingo de los Colorados » ponimus, ibique extans praelaticum hucusque templum,  
Domino Nostro Iesu Christo in caelum ascendi dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus.  
Praeterea dioecesim Coloratensem suffraganeam confirmamus metropolitanae Sedi Portus Veteris dum Venerabilem  
Fratrem Aemilium Laurentium Stehle, hactenus Episcopum Praelatum Coloratensem, Episcopum dioecesanum  
Coloratensem nominamus, iisdem iuribus, privilegiis, insignibus honoribusque ornatum atque oneribus officiisque  
adstrictum, quae Episcoporum residentium, ad normam iuris, propria sunt. Congruae sustentationi Praesulis novae  
dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus atque bonis temporalibus cunctis, quae ad dictam  
praelaturam pertinuerunt. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerus, eidem praelature  
adscriptus, novae dioecesi incardinatus censeatur. Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, administrationem  
bonorum, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri  
canones praescribunt ad amussim serventur. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Francisco Canalini,  
quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Aequatoria; eisdem tribuentes  
necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica  
dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae  
exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse  
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis Augusti, anno  
Domini millesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

BERNARDINUS card. GANTIN

*Congr. pro Episcopis Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 12, pp. 908-909 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana